

SERENISSIMI
DUCIS
BRITANNIÆ
NATALITIA,
A MUSIS
IN REGIO
LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
SOCIETATIS JESU.
CELEBRATA.


H.J. 77.
(193)




PARISIIS;
E Typographiâ LUDOVICI SEVESTRE, viâ Amygdalinâ.

M. DCCIV.

SE RE NI SI MI
DUCIS
BRITANNIE
NATALITIA
A MUSIS
IN REGIO
LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
SOCIETATIS JESU
CELEBRATA



PARISIIS,
E Typographia LUDOVICI SEVESTRE, vii. Amygdalina.
MDCCLV.



RELIGIO NUTRIX.

Aucta triumphabat Regali Gallia partu ;
Et Regum proavus jam LODOICUS erat.

Nascenti Charites decus afflavere ; quaterque

Duxerunt roseas blanda per ora manus.

Afflatu membris vigor additus, ignis ocellis,

Addita multa labris gratia, multa genis.

Visuræ Puerum * Nymphæ rupere canales ;

* Aquæ
Versaliæ.

Et liquido in numerum subsiliere pede.

Adfuit è cœlo vultu Pax tristior : illam

Europæ scires indoluisse malis.

Ut videt, ut vultu detergit nubila, ridet :

Ridentem placido respicit ore puer.

Adfuit auratis volitans Victoria pennis ,

Et laurum capta * Segusione ferens.

* Susce
Savoye.

2
Ne tamen infelicis Avi pia cura Nepotem

Urat, & unde decus, cresceret inde dolor,
Occuluit frondem ingrata, palmam*que tetendit

* Captum
Brifacum.

Quam tulit haud flendo Victor ab hoste pater.
Religio venit niveo circumdata velo,
Sed male lætitiā diffimulante suam.

Ante alias venit; fors, venerit unde? requiris:
Non de longinquis venerat illa locis.

Verfaliis habitat; mansura hic templa locavit;
Hic sedet, hic Sceptrum cum LODOICE tenet.

At dum quæque sibi infantem deposcit Alumnum,

Tres inter lis est orta repente Deas.

Non ego, Pax inquit, rixando jura tuebor;

Non est ingenii bella movere mei.

Pro re pauca loquar. Debet mihi Gallia Matrem;

Cur non & Natum debeat illa mihi?

Qui pacis donum puer est, sit Pacis alumnus:

Neu pudeat nostra cingere fronde comas.

Jam vobis quæsitæ fatis victricibus armis

Gloria, Borbonidæ; Pace petendus amor.

Hunc LODOIX petit; invitus qui fulmina torquet

Invitisque volens oria saepe dedit.

Mox idem terris, nisi fallunt omina & hostis
Vicerit improbitas, otia longa dabit.
Otia longa dabit. Rursum si bella resurgant
Hæc Avus, hæc poterit composuisse Pater.
Sic regnum accipiens pacatum Marte paterno;
Augusti referet sæcla beata Nepos.
Dixerat. At contra quassans Victoria lauros,
Ergone quæ vinco cætera, vincar, ait?
Non ita vincendi merces & gloria major,
Ut dum causa favet, cedere jure velim.
Cui medios inter, me procurante, triumphos
Contingit nasci, nascitur ille mihi.
Gallia nempe tibi matrem debere fatetur:
Est sancto per te fœdere junctus hymen.
Ac nisi rupissem fatalia fœdera belli.
Nunquam junxisses fœdera sancta tori.
Verum esto acceptam referat tibi Gallia Matrem:
Sis dos illius, sit decus illa tuum.
Est certe Genitor non uno nomine noster.
Est Avus, est Proavus, teste vel hoste, meus.
Quod si pœniteat nobis favisse Nepotem,
Et spretâ lauro cingat oliva caput.

4

Me quoque (fas LODOIX justo indulgere dolori;
Quamvis nec pondus verba nec omen habent)
Me quoque pœniteat tot jam labentibus annis
Austriacæ partes deseruisse domûs.
Gallica pœniteat famulo pede castra secutam,
Perfida dum victis, improba, cœca vocor.
Sed neque pœniteat nobis favisse Nepotem;
Nec me pœniteat Gallica signa sequi.
Otia Pacis amet nusquam Marte usa secundo
Austria; BORBONIUS Victor in arma ruat.
Sic regnum accipiet Patriis virtutibus auctum;
Et referet Proavi fortia facta Nepos.
Parcite, Relligio dixit, contendere. Neutra est
Fingendis Regum moribus apta satis.
Tu Reges & Regna finas torpere veterno.
Fervere tu bellis irrequieta velis.
At non Borbonidas aut semper stringere ferrum;
Aut decet ignavâ Sceptra tenere manu.
Otia nunc Pacis, nunc belli præmia quærant,
Sit Pax, sit bellum Religionis opus.
Quam bene consiliis Regum sim nata regendis
Vita tibi, LODOIX, hætenus acta probat.

Nam quid dissimulem, totus quod prædicat orbis;

Ipse nec, ut possis, dissimulare velis.

Quod fractum toties sociatis viribus hostem

Videris ante pedes procubuisse tuos;

Quod positis odiis Gallo jungatur Iberus;

Lilia quod supplex mundus uterque colat;

Quod tam felices regnando expleveris annos;

Detque tibi, nulli quod dedit ante Deus.

Quod Regni columen, Regum Pater, Ultor & Hospes,

Quod sis Europæ terror amorve; meum est.

Talia pro meritis Cœlum tibi dona rependit:

Hoc pretium assertæ Relligionis habes.

Ite modo, & pueri curam deposcite: pugnet

Utraque muneribus se meruisse suis.

At mihi non tanti spem dat LODOICUS Alumni;

Plurima quod dederim, sed quia multa dedit.

Qui mihi sceptrâ dedit, non deneget ille Nepotem

Borbonidæ Nutrix, dum sibi constet, ero.

Sic Dea, Francorum Genius qui præsidet oris,

Primaque partitur munia, ^{Princis} ~~vivis~~, ait.

Gallia progeniem Regum tibi credit alendam,

Sint commissa tibi pignora quanta vide.

Sic tibi de tenero fingatur Alumnus, ut olim
 Auspiciis regnes illius, ille tuis.
 Ne tamen invidiæ locus, aut sit iusta querelis
 Materies vestris, æmula turba, Deæ;
 Tempus erit, cum laudis amans per facta parentum
 Ibit, & audaces instruet ense manus.
 Tempus erit, cum Pacis amans domito otia mundo
 Reddet, & hostiles vincet amore metus
 Interea lauris ornet Victoria cunas:
 Sit Pacis fomnos conciliare labor.
 Assensere Deæ; & quamvis Dea vicerit una
 Quælibet est causam vincere visa sibi.
 Relligio Puerum gremio complexa, volenti
 Oscula per longas dat repetitque moras.
 Exerit inde sinus, & pressans ubera palmis,
 Mollia nectareo rore labella rigat.
 Ille trahens avidè niveo se proluit haustu:
 Mistaque virtutum semina lacte bibit;
 Dumque bibit, Nutrici arridet lumine blando;
 Lumine, nam dulci labra liquore natant
 Nosse Deam credas, vel credidit esse Parentem.
 In puero causam credulus error habet,

Seu matris pietas, & proxima forma Dearum;

Seu facit innatus Relligionis amor.

Cresce Puer, LODOIX crescentem cernat; & olli

Tertius accrescat te genitore Nepos.

Dii faciant longum populis des jura beatis.

Dii faciant sero det tibi Sceptra Pater.

